

2

casum, qui motus omnibus Spheris coelestibus communis est, cuiusmodi sunt Canones primi motus Regiomontani, Directionum & similes. Alij verò proponunt calculum motus stellarum tum erraticarum tum fixarum, æquinoctiorum & solstitiorum, magnitudinis anni Eclipsium, Coniunctionum & similiarum, cuius generis sunt hæ nostræ Prutenicæ tabulæ: quas adiuti liberalitate inclyti Ducis Borussiae magno sanè & difficili labore longi temporis condidimus, collatis inter se accuratè observationibus prisca & recentibus, quemadmodum alibi hæc demonstrauius. Iam ex his omnibus manifestum est, inquisitionem coelestium motuum, fieri absq; numerorum doctrina atq; exercitio non posse. Cum autem Astronomicus calculus aliquantulum dissimilis sit vsitatis præceptis doctrinæ numerorum, etsi seorsum logistice scrupulorum Astronomicorum conscripsimus, tamen operæ precium duximus, summam præceptorum illius, quantum nostro instituto satis est, breuiter hic recitare.

NUMERATIO.

Ac primum quidem satis constat, ob eandem causam & annum in duodecim menses, et zodiacum circulum quo Sol, Luna, ac quinque errantes seu planetæ vehuntur, diuidi in duodecim partes, quas Latini signa adpellant. Intra anni enim spacium quo Sol Zodiacum perlustat, Luna ad Solem duodecies reuertitur, totiesq; diametrum ei locum transit. Ac quia interea, dum Luna à Sole digressa eundem rursus consequitur, triginta ferè dies elabuntur, ideo cœli spacium quod Sol medio tempore emensus est, in totidem partes secari intelligitur, quas à gressu Solis diurno videntur posteriores dixisse gradus. Ex his fontibus, quos natura ipsa monstrat, oritur illa hypothesis Astronomica Zodiacum & in vniuersum circulos coelestes omnes, cum vsus postulat, cogitatione diuidi in partes 360. ac vni dodecatemorio attribui partes 30. Iam hoc ab arte non natura constitutum est, partes rursus singulas velut integra diuidi in 60 scrupula prima, vnum scrupulum primum in 60 secunda, secundum vnum in 60. tertia, similiter tertium, quartum, quintum, in quarta, quinta sexta,

Circulus coelestis diuisus in δωδεκατημόρια vel duodecim signa.

Partes vel gradus 360. cuiusq; circuli.

Scrupula sexagesima.

Aa 2 ta sexta,